



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 63. Marcus Antonius Columna Romæ, exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI
A.C. 1571.

num reos dimittebant, omnibusque suis subditis prohibebant, ne pullis vestibus uterentur, aut ob parentes, vel amicos suos forte defunctos ullum exterius tristitiæ signum deferrent. Insuper etiam mandarunt, ut quolibet anno in die sanctæ Justinæ sacro, quo hæc victoria fuerat reportata, a servilibus operibus cessaretur, ac singulis annis Senatus ad Ecclesiam huic Divæ nuncupatam solemnem supplicationem instituta procederet: præterea monetæ pariter cudebantur, quibus sanctæ Justinæ imago erat impressa.

§. LXIII.

Marcus Antonius Columna Romæ exceptus.

Thuan. l. 50. pag. 752. Spond ad hunc ann. num. 23. Cum nuntiatum esset, quod Marcus Antonius Columna, cujus fortitudini potissimum hujus victoriæ de Turcis reportatæ gloria in acceptis referenda erat, ingressum suum ad Romanam urbem pararet, summus Pontifex convocato Patrum Senatu deliberabat, qua ratione is excipiendus esset, & utrum ei triumphatorum honores deferrentur: verum placuit, eum honorem Joanni Austriaco esse reservandum, populo tamen Romano a summo Pontifice permissum, ut in gratiam Columnæ nobilissimi civis, & optime de Republica Chri-

Christiana meriti ad sancti Sebastiani portam, qua urbem ingressurus esset, arcus duo erigerentur, cum honorifico ipsius elogio: porro per hanc portam ingressus magna pompa ad Capitolium, præcedente copioso captivorum agmine deducitur, inde vero ad Divi Petri Basilicam ad fundendas preces, gratesque Deo agendas pro tam felici armorum successu pervenit: postea ad Vaticanum palatium contendit, ubi illum summus Pontifex ampla benevolentia, atque affectus significatione excepit, moxque omnes Cardinales, Proceres, Prælati, & nobiles certatim in ejus amplexus ruebant, atque in summam lætitiâ effusi victorem elogiis celebrabant. Altera die Marcus Columna ad Aram Cæli contendit, ut ibidem solemni interesset sacro, quod in gratiarum actionem pro victoria de Turcis relata ibidem decantabatur. Præcepit insuper Pontifex, ut vexilla hosti erepta, tanquam perenne singularis Divini præsidii monumentum, in eadem Ecclesia appenderentur, præterea Marco Antonio Mureto Oratori illius ævi clarissimo injunctum, ut promeritas Victoris laudes panegyrica oratione celebraret, cui solemnitati ex illis, qui in hoc prælio capti erant, præcipui interesse jubebantur, ut Victoris triumphum

augu-

Sæcul. XVI.
A.C 1571.

Sæcul. XVI
A.C. 1571.
augustiore redderent: ubi præprimis notabantur celebris Pirata Caragialius, & Mehemetes Sangiacus Eubææ Præfectus, qui prælium inire validis rationibus dissuadebat.

Postea Marcus Antonius Columna Ecclesiæ de Ara Cæli donaverat argentæam Christi Domini columnæ pariter argentææ alligati imaginem, cui ad conservandam hujus victoriæ memoriam quædam inscriptio fuerat affixa: de cetero cum in ejusmodi eventibus alias festiva instituerentur convivia, Marcus largas potius eleemosynas in pauperes erogandas, necnon ad dotandas inopes Virgines distribuit.

§. LXIV.

Piæ foundationes Papæ Pii V.

Ciacon. vit.
Pontif. t. 3.
pag. 104.
Duchesne
h. st. d. s. Pa.
pes p. 480.
Sub idem tempus Pius V. pluribus piis foundationibus suum nomen celebre reddebat, ac præprimis Patavii Collegium, quod Ghislerianum dicebatur, ad juvenes in pietate, & scientia educandos erexit, simulque Monasterium Fratrum Prædicatorum Boschi, quod est exigua urbs prope Alexandriam Statellorum sita construi jussit, dotavitque: in Ecclesia vero Beatæ Mariæ supra Minervam in Caraffarum Sacello magnificum erigi curavit mausoleum in honorem Pauli IV., a quo purpura erat deco-